



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm
Passionvm, Prauorumque affectuum**

Fazio, Giulio

Köln, 1604

De impaßibilitate in aduersis babenda, & de tribulationum vtilitate. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

De impassibilitate in aduersis habenda, & de
tribulationum uisitate.

VNdecima est perfecta mortificatio
omnis inquietudinis & impatientia
cordis in omni exteriori aduersitate,
sive sit diffamia, derisio, detractio cū men-
dacio, aut damnum rerum temporalium,
amicorum & affinium, sive alia qualiscū-
que persecutio, quæ alicui permissione di-
uina accedere potest. Hic scire debet,
quod illi qui se ad sui ipsius mortificatio-
nem dare uolunt, sæpe a domino nostro
multifariè tribulatione exteriori proban-
tur, an perseverare valeant in suo bono
proposito, quemadmodum angelus dixit

Tobi. 12.

Tob. 1. 2.

ad Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse
fuit ut tentatio aduersitatis (exterior) pro-
baret te.* In hunc modum etiam Iob pro-
batur, qui similem sibi non habebat in ter-
ra. Nam cum omnia sibi ablata, uxorque
sua & amici illi fuissent contrarii, nec
non & ab hoste percussus fuisset à plan-
ta pedis usque ad verticem, nihilomi-
nus permāsit quietus & patiens corde, ne-

Iob. 1.

que peccauit labijs suis, sed dixit: *Domini-
nus dedit, dominus abstulit: sicut domino*

Matt. 26.

*placuit, ita factum est. Sit nomen domini be-
nedictum.* Similiter Christus Iesus post o-

27.

mum

DE MORTIFICAT. 247

mnem persecutionem Iudæorū, in capti- *Marc. 15.*
 nando, in percutiendo, in illudēdo, in fal- *Luc. 23.*
 sos testes producendo, in flagellando, in
 crucifigendo, quieto corde & amoroso af-
 fectū in cruce pendens, clamore valido &
 abundantibus lachrymis pro suis inimicis
 rogabat, dicens: *Pater ignosce illis, quia ne-
 sciunt quid faciunt.* Nec poterant illi tot pœ-
 nas & contumelias inferre, quin aff. ctat-
 ret multo plura pati propter amorem pa-
 tris sui & omnium hominum salutem. Om-
 nibus etiā quos dominus noster trahere
 disponit ad supremum statum merito-
 rum, multa vult toleranda transmittere. O
 si si iremus ex quanta charitate afflictionē
 mittat dominus noster quocunque etiam
 modo veniat, multum eam affectuose pe-
 teremus & expectaremus, amoroseq; sus-
 ciperemus. Nā afflictiones sunt dona cha- *Aduersi-*
 rissima, quæ Deus secretis seu familiaribus *tas dona*
 amicis suis tribuit ad ornandas animas *Dei.*
 eorum, & perducendas ad veram Dei si-
 militudinem. Quia nunquam tam subtilis
 imaginum sculptor extitit, qui tanta dili-
 gentia ac sollicitudine lineamenta imagi-
 nis ad exemplaris (secundum quod eam
 formabat) perfectionem trahere elabo-
 rauerit, quemadmodum Deus omnipo-
 tens ab æterno sua sapientia immensa præ-
 vidit atq; præordinavit de secretis amicis

suis, quomodo mediantibus huiusmodi afflictionibus ipsos perduceret ad perfectissimam similitudinem Christi Iesu. Propterea dicit Augu super Psalterium: Cum ceperit homo Christianus cogitare & dissonare ut perf. Et proficiat in virtutibus & sub ipsius mortificatione, statim incipit pati linguas aduersantium. Quicumque illas nondum passus est nondum profecit. Quicumque illas petitur, nec dum conatur proficere. Notandum est autem tres esse patientiae gradus. Infimus horum est, compescere seipsum à vindicta inferenda manibus vel desideranda corde, qui gradus valde imperfectus est, quia saepe ibi remanet cor amaritatum: de quo consurgunt murmurationes, susurrations, detractiones, inuidiae, suspiciones malae, & similia. Ista sunt signa immortificati cordis arque inordinati amoris ad seipsum: quia omnis inordinata anxietas, tristitia, & inquietudo, et ordinato oritur amore. Propterea dicit Gregor. Qui equanimiter aliena mala & persecutionem non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine, id est, virtutum & gratiarum perfectione longè distat. Medius gradus est, cum aliquis non solum manus & desideria à vindicta cohibet, verum etiam cor suum purificat & mundat ab omni amaritudine & inuidia.

Et quam

Gradus
patientiae.

DE MORTIFICAT. 249

Et quamuis desideranter non patiat, tamen tolerat humiliter recognoscendo se dignum illud (imò etiam multo plura) pati: & paulatim percipiens vbertatem gratiæ, quæ per hoc acquiritur, voluntatem suam pacat ad patienter suffrendam omnem futuram aduersitatem: & hoc modo incipit sibi ipsa tolerantia fieri valde meritoria. Supremus gradus est patientia affectionis, quæ ut conformis efficiatur dominicæ passioni, & omnibus quæ in ipsa contigerunt, omne contrarium quod sibi obuiare potest, cum magno desiderio suscipit, & plura semper pati desiderat, dicendo cum Dauid: *Imperium expectauit* Psal. 68. *(scilicet cum desiderio) cor meum & miseriam.* Et istiusmodi homines sentiunt magnam abundantiam amoris Dei & dulcedinis, quæ ex ipsa tolerantia exprimitur, fluens per omnes vires animæ, per quam in tantum inebriantur in Deo, ut nullum videantur externum cõquium, dãmnum vel pœnam sentire. Nam omnem persequutionem quã patiuntur, reputant pro adiutorio veniendi ad dilectum, & oēs persecutores diligunt tanquam veros adiutores ad vitam æternã. O felix anima, quæ ad istud peruenit, quia eternaliter in brachijs Iesu Christi requiescit.

De perfecta propria voluntatis abnegatione, atque de obedientie gradibus.

L 5. CAPVT